



Neminem futurum speramus, quin iis, quae in programmate Dom. Aduent. I. publicato disputata sunt, rite perpensis, emendati Calendarii a Gregoriano discrepantiam penitus perspiciat. Illud enim quantumuis operosum, cum obseruationibus caelestibus atque ratiociniis inde desuntis totum conficiatur, tam exacte iam nunc cum veris motibus et temporibus in minutis primis graduum horarumque congruit, vt, si potentissimis protestantium Ordinibus placeret, Rudolphinis tabulis, Abbatis *Caillii* solares, atque *Tobiae Mayeri* lunares substituere, longe maior inde expectanda foret perfeccio, qua non nisi paucissimis minutis secundis differret; Gregorianum vero breue, facile, ludibundum, arbitrariis suppositionibus superstructum, a vero longius aberrans, sed captui tamen clericorum magis accommodatum. Vtriusque effectus, et quae inde consequuntur, ex annis iam praeterlapsis 1724, 1744 et ex 1778, qui instat, omnium euidentissime perspici possunt. In hoc enim, vt vidimus, Calendarium Protestantium, determinatis pro Plenilunio Paschali

| | |
|--------------------|---------------|
| loco ☽ | 19° 56' 53" ♀ |
| loco opposito ☽ | 19° 56' 53" ♀ |
| Atque loco ☽ ficto | 23° 26' 53" ♀ |

A 2

illud